

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 20. (*Neovidensis* 1806. Nro. 13.)

Ex Campis Elysiis

Oratio Politica.

De casibus inopinatis.

Elysiium - Meum. - Die Vener. 28. Febr. 1806 (*Neov.* 11. Febr. 1806.)

Sententia:

Accidit in puncto, quod non speratur in anno.

Ex veterum Philosophorum experientia.

Gravi luctu occupati erant omnium Anglorum animi dum Nelson, ille domitor marium in pugna ad Trafalgar commissa cecidit. At fatum minime contentum hoc unum vulnus infligere Brittannis, statuit etiam magnum illum orbis universi virum, qui bellum maritimum summa felicitate, terrestre autem in continente aurea politices arte gubernabat, Angliæ eripere. Hic se possunt Angli veterum Philosophorum experientia consolari: *Accidit in puncto, quod non speratur in anno.*

Utrumque hoc Angliæ lumen occidit non in ætate grandæva, in qua natura omnibus mortalibus mortem subire imperat, sed in

virili, in qua experientia quam plurimum prodest. Res singularis! Duo hi maximi Magnæ Britanniae viri nonnisi quadragesimum septimum ætatis annum attigerunt, ambo paris ætatis fati functi sunt. — *Accidit in puncto.*

Quod uni nocet, sæpe alteri adfert utilitatem. Gallia videt duos interiisse viros, qui eidem obesse velis, remi que contendebant. — — — Jam novum formatur in Anglia Ministerium. Illustris Grenville, Domini Gray, & Vindham, & etiam Foxius renunciati sunt ministri. Dominus Fox præficitur negotiis externis. Hac ratione factio Oppositionalis conversa est in Ministerialem. Hoc certe insperatum est, & inde a bello Americano, quo Foxius ex oppositione transivit in Ministerium, nunc primum repetitur; sæpe præter spem eveniunt paradoxia.

Hac occasione accommodum lego in novis Moguntinis scriptum, quod, nostræ experientiae, quæ licet paucorum annorum sit, multum tamen superat illam Majorum nostrorum, apprime convenit, Ita vero sonat:

Pax in continente iterum redintegrata est, & non ita cito, saltem pro longiori tempore interruptetur. Borussia, quæ ab quanto tempore fluctuans videbatur secum ipsa pugnare, tan-

dem
fatur
onen
mam
cili
quit,
rum
tis in
bili h
stric
runt
postp
hic c

A
la nov
minus
quæsti
Russia
lorum
solvit
perient
um vo

Er
senti E
quietis
bellum
a temp
inducia
viriu n
sibilitati

dem cessit potentiori. Erat tempus, quo fatum Europæ indecisum forte per declarationem Aulæ Berolinensis aliam accepisset formam, at illud jam elapsum est, nec ita facili negotio revertetur. Cæterum negari nequit, posse sibi homines de exitu harum rerum gratulari, licet certi populi nihil utilitatis inde percepturi sint. Sed enim in volubili hoc mundo, quidquid contra statutum jus, & morum doctrina, sæpe occurrunt casus, qui exigunt, ut bonum partis postponatur bono totius. Et in hoc etiam hic cardo rei vertebatur.

Accedetne Russia ad pacem? Sed si illa novum rerum ordinem noluerit agnoscere, minusne propterea consistet? Prima omnium quæstio fuit, & manet semper, an possit Russia bello appetere Galliam, Conjectus oculorum in tabulam geographicam jam resolvit hanc interrogationem, antequam experientiam, recenter confirmatam in auxilium vocemus.

Eruditi politici nondum inveniunt in præsenti Europæ statu solidum fundamentum quietis, & tranquillitatis. Sine dubio novum bellum terrestre, vel continuatio prioris (nam a tempore tumultuum gallicorum omnis pax inducias tantum redolebat, quæ ex defectu virium sunt initæ) pertinent ad vastum possibilitatis regnum. At quæ utilitas ex reno-

vata, vel continuata hostilitate? Acceleratio magnæ illius destinationis, quam præsens Europæ situs clare annunciat, ad quam omnes suam operam contulerunt; celerior dissolutio nodi Gordii, quem junior, & major Alexander non minus paratus est subtilibus Politicæ digitis evolvere, quam in casu necessitatis gladio bellatoris dissecare.

Considerate attentius ultimos viginti annos; Plus doctrinæ latet in rebus gestis brevis hujus, sed fertilis periodi, quam in omnibus vestræ Politicæ, Juris publici, & gentium bibliothecis, plus, quam ex historia veterum Statuum, & receptis moribus erui possit. Junior, & recentior ætas cupit juniore, novioreque spiritu regi. Pleraque Regna magis succumbunt in prælio cum hoc spiritu, quam cum ipsa Gallia; Quodve Galliam ita fortem reddit est spiritus temporis, quo illa animatur. Licet autem Gallia a 18 mensis nivosi multis passibus recesserit, inter spiritum tamen ejus constitutionis, aliarumque Europæ provinciarum plus intercedit quam medium sæculum. Politicæ, & civiles ejus leges perpurgatæ sunt ab omnibus illis mendis, quibus medium ævum constitutiones universorum Europæ populorum replevit; cujus rei cognoscendæ gratia convertamus oculos in ejus sanctiones, & publicam administrationem; & videbimus, quo spiritu cuncta regantur.

dent.
trion
tis in
calar
men
bella

Napo
ad S
reser
deter
gallia
Cum
tes p
cesse
junga

ropa
lingu
politi
torio

nove
rever
Hano
gliam

Profecto multa adhuc, & gravia impendent. Nam licet negotia Germaniæ Septentrionalis composita sint, & Dynastia regnantis in Regno Neapolitano familiæ uno ductu calami e numero Regum deleta, remanet tamen imperium maris, superba Britannia debellanda, & —

Magnæ considerationis sunt verba, quæ Napoleon in epistola 12 Januarii Monachio ad Senatum data ita expressit: De reliquo reservamus nobis per futuras dispositiones determinare vincula, quibus omnes imperio gallico fœderatæ provinciæ constringantur. Cum enim diversæ a se invicem independentes partes ad communem tendant finem, necesse est, ut etiam communi vinculo jungantur.

Miscellanea.

Antiqua regna, quæ magna olim in Europa pollebant authoritate, loquuntur adhuc linguam feliciorum temporum; Ita Suecia in politicis negotiis hucdum utitur tono dictatorio.

Quamvis enim Russi ex Elektoratu Hanoverano exeant, & ipsi Borussi domum revertantur, imo etiam Angli cum legione Hanoverana naves conscendant, ut in Angliam transvebantur, suecicus tamen Gene-

ralis in data proclamatione declarat, se a suo Imperante habere in mandatis tamdiu defendendi regiones Hanoveranas ad dextram Albis ripam sitas, quamdiu circa illas aliæ dispositiones a Rege Angliæ non fuerint factæ.

Contra in Franconicis ephemeridibus legimus, ducenta armatorum gallorum millia occupatura dextram Rheni ripam ab Argentorato usque ad Hollandiam, donec omnes extraneæ copiæ non excesserint ex Germania. Soli itaque Sveci volunt Lauenburgum tutari. Hoc omnino denotat tempora. Gustavi Adolphi, & Caroli XII. *Sed tempora mutantur.*

Non convenire omni tempori eundem sermonem, patet ex facto Russorum, & Anglicorum, qui secundum certos Roma allatos nuntios Regnum Neapolitanum jam deseruerunt.

Parisiis 6. Febr. Cardinalis Ruffo properans Parisios 31. Januarii venit Lugdunum.

Philadelphia scribitur, die 1. Decembris urbis hujus portum intrasse navim russicam, Atque hæc est prima Russorum navis, quæ in Americam appulit.

Ex Anglicis ephemeridibus constat, creatos jam esse in Anglia novos Ministros: Lord

Hydmouth (*aliter Addington*) est Præses collegii rei navalis, & Cancellarius ærarii publici, Foxius secretarius negotiorum externorum, Lord Grenville Minister status, & D. Vindham minister bellicus.

*Resolutio Problematis anno superiore Nro 70.
propositi:*

Summa collata cum lucro mercatoris A sit = x . B = y . C = z , & mercatoris D = p . Nascuntur sequentes æquationes: $x + y + z + p = 23735 \dots$ A; $x + y + z = 16715 \dots$ B; $y + z + p = 18905 \dots$ C; & $x + z + p = 17975 \dots$ D. Subtrahendo B ab A erit $p = 7020 =$ summa collatæ cum lucro mercatoris D. Deinde $A - C: x = 4830 = A$. consequenter $z = 17975 - 4830 - 7020 = 6125 = C$; & $y = 18905 - 6125 - 7020 = 5760 = B$.

Jam ponamus pecuniam harum quatuor personarum attulisse annum censum $x\%$, sequentes prodibent proportiones: $100 + \frac{6x}{12}$:

$$4830 = 100 : \frac{966000}{200+x} = \text{summa collatæ mer-}$$

$$\text{catoris A; } 100 + \frac{8x}{12} : 5760 = 100 : \frac{864000}{150+x}$$

$$= B: 100 + \frac{9x}{12} : 6125 = 100 : \frac{2450000}{400+3x}$$

$$C, \& 100 + x : 7020 = 100 : \frac{702000}{100+x} = D.$$

$$\text{Hinc sequens eruitur æquatio : } \frac{966000}{200+x} +$$

$$\frac{864000}{150+x} + \frac{2450000}{400+3x} + \frac{702000}{100+x} = 19400, \text{ vel}$$

$$\text{per } 200 \text{ dividendo : } \frac{4830}{200+x} + \frac{4320}{150+x} +$$

$$\frac{12250}{400+3x} + \frac{3510}{100+x} = 97. \text{ Vel tollendo fra-}$$

$$\text{ctiones, \& per } 3 \text{ dividendo : } \frac{97x^4}{9} + \frac{39840x^3}{10} +$$

$$\frac{4867500x^2}{100} + \frac{104500000x}{1000} - \frac{867000000}{10000}$$

$$= 0. \text{ (sit } x = 10y, \& \text{ formetur } 97y^4 + \text{ (geometr. progress.)}$$

$$3984y^3 + 48675y^2 + 104500y - 86700 = 0. \text{ Erit } y = 3, \& x = 10, 3 = 30 = \text{annuo cen-}$$

$$\text{sui a } 100. \text{ Hinc summa collata mercatoris } A = \frac{966000}{150+30} = 4200 \text{ flor. Mercatoris } B =$$

$$\frac{864000}{150+30} = 4800; C = \frac{2450000}{400+90} = 5000; D =$$

$$\frac{702000}{100+30} = 5400, \& \text{ omnium simul sumto-}$$

$$\text{rum} = 4200 + 4800 + 5000 + 5400 = 19400.$$

Isacus Schuster,
Francofurtensis tabellarii filius.